

## 8. De diaconis

8.1.Diaconus vero cum ordinatur, eligatur secundum ea quae praedicta sunt, similiter inponens manus episcopus solus sicuti praecipimus. In diacono ordinando solus episcopus inponat manus, propterea quia non in sacerdotio ordinatur, sed in ministerio episcopi, ut faciat ea quae ab ipso iubentur.

8.2.Non est enim particeps consilii in clero, sed curas agens et indicans episcopo quae oportet, non accipiens communem praesbyterii spiritum eum cuius participes praesbyteri sunt, sed id quod sub potestate episcopi est creditum. Qua de re episcopus solus diaconum faciat ; super praesbyterum autem etiam praesbyteri superinponant manus propter communem et similem cleri spiritum. Praesbyter enim huius solius habet potestatem ut accipiat, dare autem non habet potestatem. Quapropter clerum non ordinat; super praesbyteri vero ordinatione consignat episcopo ordinante.

8.3.Super diaconum autem ita dicat : Deus, qui omnia creasti et verbo perordinasti, pater domini nostri Iesu Christi, quem misisti ministrare tuam voluntatem et manifestare nobis tuum desiderium, da spiritum sanctum gratiae et sollicitudinis et industriae in hunc servum tuum, quem elegisti ministrare ecclesiae tuae et offerre in sancto sanctorum tuo quod tibi offertur a constituto principe sacerdotum tuo ad gloriam nominis tui, ut sine reprehensione et puro more ministrans, gradum maioris ordinis assequatur, et laudet te et glorificet te per filium tuum Iesum Christum dominum nostrum, per quem tibi gloria et potentia et laus, cum spiritu sancto, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

## 21. De traditione baptismi sancti

Tempore quo gallus cantat, oretur primum super aquam. Sit aqua fluens in fonte vel fluens de alto. Fiat autem hoc modo, nisi sit aliqua necessitas. Si autem necessitas est permanens et urgens, utere aquam quam invenis. Ponent autem vestes, et baptizate primum parvulos. Omnes autem qui possunt loqui pro se, loquantur. Qui autem non possunt loqui pro se, parentes eorum loquantur pro eis, vel aliquis ex eorum genere. Postea baptizate viros, tandem autem mulieres quae solverunt crines suos omnes et deposuerunt ornamenta auri et argenti quae habent super se, et nemo sumat rem alienam deorsum in aqua. Tempore autem statuto ad baptizandum, episcopus reddat gratias super oleum quod ponit in vase et vocat illud oleum gratiarum actionis. Et sumit quoque aliud oleum quod exorcizet et vocat illud oleum exorcismi. Diaconus autem fert oleum exorcismi et se sistit ad sinistram presbyteri, et alias diaconus sumit oleum gratiarum actionis et se sistit ad dexteram presbyteri. Et cum presbyter sumpsit unumquemque recipientium baptismum, iubeat eum renuntiare dicens : Renuntio tibi, Satana, et omni servitio tuo et omnibus operibus tuis. Et cum renuntiavit unusquisque, ungat eum oleo exorcismi dicens ei : Omnis spiritus abscedat a te. Et hoc modo tradat eum episcopo nudum vel presbytero qui stat ad aquam qui baptizat.

Descendat autem cum eo diaconus hoc modo. Cum ergo descendit qui baptizatur in aquam, dicat ei ille qui baptizat manum imponens super eum sic : Credis in deum patrem omnipotentem ? Et qui baptizatur etiam dicat : Credo. Et statim manum habens in caput eius inpositam baptizet semel. Et postea dicat : Credis in Christum Iesum filium dei, qui natus est de spiritu sancto ex Maria virgine et crucifixus sub Pontio Pilato et mortuus est et sepultus et surrexit die tertia vivus a mortuis et ascendit in caelis et sedit ad dexteram patris uenturus iudicare vivos et mortuos ? Et cum ille dixerit : Credo, iterum baptizetur. Et iterum dicat : Credis in spiritu sancto et sanctam ecclesiam et carnis resurrectionem ? Dicat ergo qui baptizatur: Credo. Et sic tertia vice baptizetur. Et postea cum ascenderit, ungueatur a praesbytero de illo oleo quod sanctificatum est dicente : Ungueo te oleo sancto in nomine Iesu Christi. Et ita singuli detergentes se induantur et postea in ecclesia ingrediantur.

Episcopus vero manum illis inponens invocet dicens : Domine Deus, qui dignos fecisti eos remissionem mereri peccatorum per lavacrum regenerationis spiritus sancti, inmitte in eos tuam gratiam, ut tibi serviant secundum voluntatem tuam; quoniam tibi est gloria, patri et filio cum spiritu sancto, in sancta ecclesia, et nunc et in saecula saeculorum. Amen. Postea oleum sanctificatum infundens de manu et inponens in capite dicat : Ungueo te sancto oleo in domino patre omnipotente et Christo Iesu et spiritu sancto.

Et consignans in frontem offerat osculum et dicat : Dominus tecum. Et ille qui signatus est dicat : Et cum spiritu tuo. Ita singulis faciat. Et postea iam simul cum omni populo orent, non primum orantes cum fidelibus nisi omnia haec fuerint consecuti. Et cum oraverint, de ore pacem offerant. Et tunc iam offeratur oblatio a diaconibus episcopo et gratias agat panem quidem in exemplum, quod dicit graecus antitypum, corporis Christi ; calicem vino mixtum propter antitypum, quod dicit graecus similitudinem, sanguinis quod effusum est pro omnibus qui crediderunt in eum ; lac et melle mixta simul ad plenitudinem promissionis quae ad patres fuit, qua dixit terram fluentem lac et mel, qua et dedit carnem suam Christus, per quam sicut parvuli nutriuntur qui credunt, in suavitate verbi amara cordis dulcia efficiens ; aquam vero in oblationem in indicium lavacri, ut et interior homo, quod est animale, similia consequatur sicut et corpus. De universis vero his rationem reddat episcopus eis qui percipiunt. Frangens autem panem, singulas partes porrigens dicat: Panis caelestis in Christo Iesu. Qui autem accipit respondeat : Amen. Praesbyteri vero si non fuerint sufficientes, teneant calices et diacones, et cum honestate adstant et cum moderatione : primus qui tenet aquam, secundus qui lac, tertius qui vinum.

Et gustent qui percipient de singulis ter dicente eo qui dat : In deo patre omnipotenti. Dicat autem qui accipit : Amen. Et domino Iesu Christo. Et spiritu sancto et sancta ecclesia. Et dicat : Amen. Ita singulis fiat. Cum vero haec fuerint, festinet unusquisque operam bonam facere et placere deo et conversari ecclesiae, faciens quae didicit et proficiens pietate.

Haec autem tradidimus vobis in brevi de baptismo sancto et oblatione sancta, quia iam instructi estis de resurrectione carnis et de ceteris sicut scriptum est. Si autem aliquid decet memorari, episcopus dicat eis qui acceperunt baptismum in quiete. Ne autem infideles cognoscant nisi acceperint baptismum primum. Hic est calculus albus quem Ioannes dixit: Nomen novum scriptum est in eo, quod nemo novit nisi qui accipiet calculum.

## 22. De communione

Sabbato et prima sabbati episcopus, si potest, manu sua, dum diaconi frangunt, omni populo distribuet ipse, et presbyteri coctum panem frangent. Cum diaconus ad presbyterum affert, porriget vestem suam, et ipse presbyter sumet, et populo manu sua distribuet. Ceteris diebus recipient secundum mandatum episcopi.

## 24. De donis ad infirmos

Diaconus in necessitate dabit signum infirmis cum sollicitudine si non adest presbyter, et cum dederit quantum necesse est, sicut acceperit quod distribuitur, gratias aget, et consumant ibi. Ut qui accipiunt ministrent sollicite. Si quis accepit ut ferat viduae et infirmo et ei qui operam dat ecclesiae, in die ferat. Et si non tulit, sequenti die, augendo de suo, quod erat, ferat, quia mansit apud cum panis pauperum.

## 25. De introductione lucernae in cena communitatis

Cum episcopus adest, vespere facto, diaconus lucernam infert, et stans in medio omnium fidelium qui adsunt, reddet gratias. Primum salutabit dicens : Dominus vobiscum. Et populus dicet : Cum spiritu tuo. — Gratias agamus domino. Et dicent : Dignum et iustum est ; et magnitudo et elevatio cum gloria eum decent. Et sursum corda non dicet, quia in oblatione dicitur. Et orabit hoc modo dicens : Gratias agimus tibi, Domine, per filium tuum Iesum Christum dominum nostrum, per quem illuminasti nos, revelans nobis lucem incorruptibilem. Cum perfecimus ergo longitudinem diei et pervenimus ad initium noctis, saturantes nos luce diei quam creasti ad satietatem nostram, et cum nunc non egemus luce vesperi per gratiam tuam, laudamus te et glorificamus te per filium tuum Iesum Christum dominum nostrum, per quem tibi gloria et potentia et honor cum sancto spiritu, et nunc et semper et in saeculum saeculi. Amen. Et dicent omnes : Amen. Et surgent ergo post cenam orantes, pueri dicent psalmos, et virgines.

Et postea diaconus, mixtum calicem oblationis cum accipiet, dicet psalmum de illis in quibus scriptum est alleluia. Et postea presbyter si praecipit, etiam ex iisdem psalmis. Et postea quam episcopus obtulit calicem, eorum qui convenient calici psalmum dicet, omnem cum alleluia, dum dicent omnes. Cum recitabunt psalmos, dicent omnes alleluia, quod dicitur : laudamus qui est deus ; gloria et laus ei qui creavit omne saeculum per verbum tantum. Et perfecto psalmo, benedicet calicem et de fragmentis dabit omnibus fidelibus.

28.2. Et cum episcopus loquitur, omnes taceant cum moderatione donec interroget eos iterum. Si autem non est episcopus ibi, sed fideles tantum, in cena accipiani eulogiam de manu presbyteri, si adest. Si autem non adest, accipient de manu diaconi. Similiter catechumeni accipient panem exorcismi. Laici autem qui sunt simul sine clero comedant cum disciplina. Laicus enim non potest dare eulogiam.

## 34. Quod oportet diaconos ad episcopum instare

Diaconus vero unusquisque cum subdiaconibus ad episcopum observent. Suggeretur etiam illi qui infirmantur, ut, si placuerit episcopo, visitet eos. Valde enim oblectatur infirmus cum memor eius fuerit princeps sacerdotum.

## 39. De diaconis et presbyteris

Diaconi autem et presbyteri congregentur quotidie in locum quem episcopus praecipiet eis. Et diaconi quidem ne negligent congregari in tempore omni, nisi infirmitas impedit eos. Cum congregati sunt omnes, doceant illos qui sunt in ecclesia, et hoc modo cum oraverint, unusquisque eat ad opera quae competit ei.